

*Specimen Academicum*

DE

*Argumento pro Existentia Summi  
Numinis Physico-Theologico,*

---

Quod

*Venia Ampl. Fac. Philos. Ab.*

*publicæ submitunt censuræ*

**NICOLAUS MAGNUS TOLPO,**

*Metaph. Docens, nec non Confess. Eccles. Ab. Not.*

et

RESPONDENS

**JOHANNES DANIEL ALCENIUS,**

*Ostrob.*

In Aud. Maj. die XXVIII Nov. MDCCCIV.

h. p. m. f.

---

*ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.*

5

*Il est à croire, que l'ignorance des causes physiques  
a fait naitre la première pensée de recourir à une cause  
finale; mais il y a plus que de l'ignorance à la rejeter  
tout-a-fait.*

ROBINET.



§. I.

**D**e inventa ex principiis rationis apodictica demonstratione existentiae Dei, ut entis realissimi, quamquam arroganter jam, inde a tempore celeberrimi CARTESII, jactaverunt Philosophi e Schola nominatim Wolfiana, adeo ut invictissimis, pretiosissimam hanc veritatem, etiam philosophicis jam confirmatam esse argumentis cordatiores gavisi sint mortales; verumtamen quum novissimorum in hac re perscrutationes docere videntur, verendum esse, ne frustrata sint rationis humanæ, hoc respectu, conamina, quæ quidem quæstio majoris, sine omni dubio, est momenti, quam ut in medio debeat relinqui: Specimen Academicum edituri, nos quoque in magna hac re periculum quoddam facere ausi sumus.

A

Cui



Cui non solum candidam bonorum censuram, verum et (utinam sperandum esset!) id fatum exoptamus, ut vel ansam præbeat solidioribus, majorum ingeniorum, veritatem hanc omnium longe nobilissimam et beatissimam confirmandi causa, instituendis disquisitionibus.

§. II.

In republica litteraria notissimum est Philosophos, in demonstranda existentia Summi Numinis, triplicem secutos esse viam, nimirum: aut 1:0 ex ordine, nexu et finibus rerum, in mundo visibili obvenientium, secundum leges causalitatis (ut vocantur), ad existentiam Summi Auctoris absolute necessarij, ut causæ primæ; aut 2:0 a mundi *contingentia* ad ens absolute necessarium; aut 3:0 ex sola idea entis absolute necessarij ad ejusdem existentiam, argumentando. Quorum argumentorum hoc, *Ontologicum*, istud *Cosmologicum*, illud *Physico theologicum*, vocatur. Neque minus nota est acerrima illa a Celeberrimo KANT hujusmodi argumentorum exhibitæ censura a), vi cujus et ipse et ejus affectæ negant hæc

---

a) Continetur ea disquisitio in libro: *Critik der reinen Vernunft*, a pag. 620 usque ad pag. 730 in Ed. quarta Rigæ 1794.

hæc argumenta ad demonstrandam objectivam realitatemque Dei existentiam valere, solum concedentes, quod existentia, ut Logice quidem possibilis, notioni de Deo fit tribuenda, sed non ultra, inde (nominatim ex argumentis, Ontologico et Cosmologico) concludi posse. Verumtamen nominato argumento physico theologico (aut si mavis teleologico) non plane omnem denegant probandi vim, nobis scilicet quamque ægre largientes, hinc saltim ad aliquem magnum, sapientem et potentem mundi Architectum (Weltbaumeister ut verba sonant), non autem ad Auctorem omnis materiæ, hoc est, Creatorem, non ad ens realissimum, esse colligendum; insuper observantes etiam tertium hoc argumentum, duobus illis supradictis, tacite niti, ac non secus quam eorundem esse repetitionem *b*).

§. III.

Hi autem Philosophi, etiamsi quadam æstimatione dignum hocce argumentum prædicant *c*), quoniam

A 2

niam

*b*) Cfr. KANT l. c. pag. 650 - 658 — LAZ. BENDAVIDS *Vorlesungen über die Crit. der reinen Vern.* Wien 1795 pag. 259 — 276. JAKOB, *Die allgemeine Religion*, ed. 1797 p. 562, seqq. IDEM in libro: *Ueber die Beweise für das Daseyn Gottes*; ed. Liebau 1798 p. 35 seq.

*c*) KANT l. c. p. 651, 652 ita: "Der Beweis verdient jeder-



niam tamen eidem minus, quam fortasse par sit, pretii tribuere videntur; præfente igitur hac Differ-  
ta-

---

zeit mit Achtung genannt zu werden. Er ist der älteste, kläreste und der gemeinen Menschenvernunft am meisten angemessene. Er belebt das Studium der Natur, so wie er selbst von diesem sein Daseyn hat, und dadurch immer neue Kraft bekommt. — — Es würde daher nicht allein trostlos, sondern auch ganz umsonst seyn, dem Ansehen dieses Beweises etwas entziehen zu wollen. Die Vernunft, die durch so mächtige und unter ihren Händen immer wachsende, obzwar nur empirische Beweisgründe, unablässig gehoben wird, kann durch keine Zweifel subtiler abgezogener Speculation so niedergedrückt werden, daß sie nicht aus jeder grüblerischen Unentschlossenheit, gleich als aus einem Traume, durch einen Blick, den sie auf die Wunder der Natur und die Majestät des Weltbaues wirft, gerissen werden sollte, um sich von Gröfse zur Gröfse bis zur allerhöchsten, vom Bedingten zur Bedingung, bis zum obersten und unbedingten Urheber zu erheben." — Pagina vero 665 idem Auctor, reutatione sua scilicet jam exhibita, afferit: "Der physichtheologische Beweis könnte also vielleicht wohl anderen Beweisen (wenn solche zu haben sind) Nachdruck geben, indem er Speculation mit Anschauung verknüpft: für sich selbst aber bereitet er mehr den Verstand zur theologischen Erkenntniß vor, und giebt ihm dazu eine gerade und natürliche Richtung, als daß er allein das Geschäfte vollenden könnte."

tatione id præcipue ostendere conati sumus, quod ulterius adhuc cordatorum Philosophorum examen mereatur quæstio: nonne etiam ex nominato jam Physico-Theologico argumento, satis firmum persuasioni nostræ fideique de Deo, sumendum sit fundamentum?

Postulat vero res, ut primo ipsum laudatum argumentum paucis proponatur. Cujus igitur principalia hæc sunt momenta:

1:0 Quæcunque ita sunt ordinata, ut iisdem certis fines non intendantur modo, verum et obtineantur; ea ab ente quodam ratione prædito et sapiente, non possunt non esse effecta. In mundo autem hoc, ubique omnes res, in quantum unquam humana perspicacia ad eas scrutandas potuerit penetrare, ad certos obtinendos fines, maxima sapientia, pulcherrimo ordine, nec non ad unum constituendum immensum totum, innumeram partium continens varietatem, esse ordinatas constat. Est igitur mundus opus cujusdam Entis sapientissimi, quod ideo, existente scilicet causato, prout mundi causa existat necesse est *d*). 2:0 Quum laudatus iste omnium re-

A 3; rum

---

*d*) Causarum seriem infinitam sanæ rationi repugnantem heic præsupponi, cuique patet.



rum ordo sive nexus ad fines obtinendos (nexus finalis) præsupponit postulatque sui causam esse ens, summa intelligentia huicque conjuncta voluntatis libertate, præditum; talis vero intelligentia minime potest (vi scilicet omnis experientiæ) ulli rei in mundo sensuali (ut vocatur), ulli nempe *materiæ*, tribui, neque potest hic nexus finalis, ut fortuitum quoddam consequens censeretur solius mechanismi in Natura obviæ *e*): concluditur hinc mundum seu materiam, ut sua natura fortuitam, sui ipsius esse auctorem nequire, sed hunc necessario ab illa esse diversum. 3:0 Deinceps, unum tantum (non plures) esse mundi auctorem inde colligunt, quod omnes mundi partes, (intra sphaeram experientiæ sine omni dubio, at extra hanc, saltim probabiliter ex analogia argumentando) talem mutuam reperiuntur habere relationem, ut unum constituent totum, seu unius tantum sint *omnitudo* (ut dici solet) membra.

#### §. IV.

Atqui tali argumentationi plura supra memorati Critici objiciunt. Sic, 1:0 etiam si sequeretur mundi existere Architectum, inde tamen non sequi hujus  
exi-

---

*e*) Cfr. JAKOB *über die Bew. für das Daf. Gottes*, p. 52, 54.



existentiam, ut entis, quod universum ex nihilo pro-  
 duxerit; 2:o nullam adesse mortalibus rationem ex  
 caussalitate cognita ad incognitam transiendi; 3:o ex-  
 ternam quidem rerum mundi *formam* esse fortuitam  
 sive contingentem, sed non ita sequi quod ad ipsam  
 ejus materiam h. e. *substantiam* attinet; porro 4:o  
 ideam de caussa mundi nequire, hac (physico-theo-  
 logica) via omnimode determinari, cum scilicet va-  
 leat conclusio ad aliquam caussam, nostræ tantum,  
 de intentis mundi finibus atque ordine, admodum  
 scilicet parvulæ experientiæ proportionatam, h. e.  
 ad Auctorem quidem valde magnum, valde poten-  
 tem, sapientem et sic porro, sed non ad ens, pos-  
 sidens plane omnem potentiam, sapientiam, cæte-  
 rasque omnes quæ cogitari queant perfectiones,  
 verbo: realissimum. Quum igitur mortales, nec  
 magnitudinis mundi a se observatæ (aut extensio-  
 nem aut contenta hujus respicias), nec ordinis mun-  
 di ad absolute perfectissimam sapientiam, nec unita-  
 tis mundi, ad absolutam Auctoris unitatem, perspi-  
 cere unquam valeant relationem, nec idcirco deter-  
 minatam ex Physico-theologia, de Deo sibi formare  
 queant ideam *f*); concluditur argumentum hinc de-  
 furn-

*f*) Cfr. KANT I. c. p. 654 — 656. sq. ubi et addit: "Der  
 Schritt zu der absoluten Totalität ist durch den empiri-

sumtum minus valere, nisi ad illud cosmologicum et deinceps ad illud Ontologicum argumentum refugiatur. Quoniam vero hæc ipsa argumenta, ut solum ideis *a priori* desumptis adnitentia, ad objectivam cujusdam rei realitatem demonstrandam, nunquam valere asserunt Critici; nullum ergo ex ratione speculativa desumptum pro existentia Dei esset argumentum g).

Alia

---

schen Weg ganz und gar unmöglich. Nun thut man ihn doch aber im physischtheologischen Beweise. Welches Mittels bedient man sich also wohl, über eine so weite Kluft zu kommen?"

- g) BENDAVID libro citato, pag. 275 ad hunc locum ita: "Der Gang, den man hier nimmt, ist folgender. Erst schließt man von der Ordnung und der Zufälligkeit der Welt, auf ihre Abhängigkeit von irgend einem andern Wesen, das dann zu einem schlechthin nothwendigen, und endlich zu einem Wesen erhoben wird, das alle Realitäten in sich vereinigt. Man steigt also hier, aus dem physicotheologischen Beweise in den cosmologischen, und von diesem in den ontologischen, ohne es zu merken; man ist daher durch alle vorangeschickten Schlüsse um nichts weiter gekommen. Dies wären nun die drey Beweise für die Existenz des Ideals der reinen Vernunft, die von der speculativen Vernunft bisher geführt wurden, und geführt werden konnten: mehr giebt es deren nicht. Denn sie kann nichts anders thun, als entweder Erfahrun-



Alia insuper 5:o est objectio, quod, ex argu-  
mento physico-theologico, non sit evidens, in quem  
finem ipse mundus, omnisque ejus constructio exi-  
stat. Neque magis 6:o pateat mundum, causam sui  
aliquam intelligentia gaudentem absolute requirere;  
quoniam entia, intellectu prædita, ipsa quoque ad  
mundum pertineant, mundique causa ideo æque ab  
intelligentia ac a materia possit esse diversa h). 7:o

B

De-

---

gen voraussetzen, und auf sie ihren Beweis gründen;  
oder ihn aus bloßen Begriffen führen," Cfr. p. 279, 280.  
KANT I. c. p. 664. "Ich behaupte nun, daß alle Ver-  
suche eines bloß speculativen Gebrauchs der Vernunft in  
Ansehung der Theologie gänzlich fruchtlos und ihrer in-  
neren Beschaffenheit nach null und nichtig sind; daß aber  
die Principien ihres Naturgebrauchs ganz und gar auf kei-  
ne Theologie führen, folglich, wenn man nicht morali-  
sche Gesetze zum Grunde legt, oder zum Leitfaden  
braucht, es über all keine Theologie der Vernunft ge-  
ben könne."

(b) Sic JAKOB lib. cit. *Ueber die Bew. für das Daf. Gottes*, p.  
37. "Wozu aber die Welt selbst und ihre ganze Einrich-  
tung dienen solle, lehrt die physische Weltbetrachtung  
allein noch nicht. Ja die letztere läßt es sogar noch  
ungewiß, ob nicht vielleicht doch noch ein Irrthum in  
unserm Denken vorgehen, und die Naturzwecke von ei-  
nem Principio herrühren können, das so wohl mit dem  
Verstande, als dem Mechanismus heterogen ist."



Denique, nec inde esse evidens, num Auctor Mundi ens sit *morale*, sanctitate æque ac potentia sapientiaque infinitum, objiciunt. Quibus dubiis 8:o id adhuc laudati illi Critici addunt assertum, quod contrarium conclusionum physico-theologicarum semper, æque magna veritatis specie, non urgeri solum queat, verum et probari i).

§. V.

Hæ objectiones, etiamsi omnem, quam urgent earundem auctores, vim haberent (quod, utrum con-

---

z, De his JAKOB, libro *Die allgemeine Religion*, p. 565, ita: "Es ist nicht evident, das die Einrichtung der Welt schlechterdings eine verständige Ursache erfordere, weil die verständigen Wesen selbst mit zur Welt gehören, und es also wohl seyn könnte, das die Ursache der Welt, ein von dem Verstande nicht minder als von der Materie verschiedenes Ding wäre; es ist nicht evident, das der Weltbaumeister auch der *Schöpfer* der Materie seyn müsse; es ist nicht evident, das der Urheber der Welt ein *moralisches*, an Macht und Weisheit, so wie an Heiligkeit, unendliches Wesen seyn müsse. Alles dieses erhellet aus den Schlüssen der Physico-theologie gar nicht, und es kann daher stets das Gegentheil wieder sie eingewandt, und mit eben so viel Scheinbarkeit erwiesen werden" &c.

concedendum sit, nobis quidem in dubio est); attamen omne Religionis naturalis fundamentum idcirco haud est sublatum. *Fides* namque saltem *moralis*, sive *rationis practicae* recto certe stat talo *k*); ea nimirum veritate nixa, quod omnes homines, ad certam absolute necessariam legem moralem, liberas suas dirigere obligati sint actiones, ut felicitate evadant digni *l*). Qui finis, nexum cum omnibus aliis finibus, et consequenter objectivam practicam approbationem (*Gültigkeit*), non potest non sub unica tantum ea habere conditione (sine qua etiam justa inter moralitatem et felicitatem proportio sperari nequiret), quod existat *Deus*, et quod *immortalis sit animus humanus*. Quo igitur pacto *ratio practica* non solum *Dei postulat* existentiam, sed animi quoque nostri immortalitatem; quia nempe, existentibus legibus et finibus, moralibus *m*) æque ac physicis, illarum horum-

B 2

rum-

---

*k*) V. KANT, *Crit. der practischen Vernunft* (ed. 1788), p. 227, 255 — 263. Quibus locis cfr. *Ejusd. Crit. d. rein. Vern.* p. 617. 661 fqq. 250. 256. fqq.

*l*) KANT l. c. p. 234. fqq.

*m*) Qui fortasse reprehenderet, quod vocabulo utimur; *moralis*, aliisque ejusmodi, observet talia jam longo usu inter Philosophos fuisse recepta.



rumque summus etiam Auctor, Optimus, Sapientissimus, existat necesse est.

Verum enimvero ea est miseranda mortalium fors, ut multi eorundem absolutam illam legis moralis necessitatem non agnoscant; quid? quod et inter Philosophos haud minimi nominis reperti sint, qui talem legis hujusce vim denegaverint, aut saltem alia non admiserint conditione, nisi primum fuerit existentia summi Legislatoris probata. Multi quoque, praesertim novissimis his temporibus, alterum illud hujus cognitionis principium, lucem puta Divinae Revelationis, plane respuunt; praeterquam quod, teste experientia, omnino constat, adeo diversam esse hominum cogitandi rationem, ut unum idemque argumentum pro confirmanda quadam veritate, etiamsi in aliis gigneret animi persuasionem, aliis tamen minus persuadere valeat: quo jam pacto periculum est ne, apud magnam mortalium partem, omnia verae religionis ruant fundamenta. Quae cum ita sint; maximè sane interest inquirere, nonne, praeter argumentum morale, aliud quoque maximae hujus in quaestionem vocatae veritatis detur fundamentum, persuasioni nostrae corroborandae satis aptum? Quo respectu, cum, tametsi quodammodo obstent critica

il.



illa dubia, haud tamen despiciendum nobis videtur argumentum physico-theologicum; huc igitur spectant sequentes, quas contra eadem dubia adferre audemus observationes.

§. VI.

Quod jam primo, in genere, ad illud sub N:o 8:o supra allatum, attinet assertum: "quod contrarium argumentorum physico-theologicorum semper æque magna veritatis specie possit probari"; quære licet: nonne hoc saltim debeat maximo jure negari? Si enim, secundum doctrinam criticam, hoc respectu nihil valeant rationes *a priori* n); quo igitur jure queant argumenta *a priori* heic ad refutandum adhiberi? *A posteriori* vero certe non potest illud contrarium ostendi; id quod et ipsi Critici concedere videntur o). Nimirum, quicumque diluere volunt nostras, ab experientia de finibus ordineque mundi, pro Dei existentia, sumtas rationes, necesse habent, ex experientia quoque, nullum in mundo esse ordinem, nullum nexum finalem sapienter institutum, demonstrare; quod tamen neminem sa-

B 3

num

---

n) Cfr. KANT *Crit. d. rein. Vern.* p. 665 sqq;

o) *Ibid.* p. 651. sqv. JAKOB in libris citatis.

num jam amplius vel conari velle, pro certo dicere audemus. Et quamquam vel possint quædam dubia, vi scilicet infirmitatis omnis ingenii humani proferri; hæc sane unquam eadem, ac ipsa in quæstionem vocata argumenta, probabilitate gaudere nequeunt *p*). Cujus quidem rei veritatem ulterioribus firmare rationibus supervacaneum hoc loco ducimus, solum ad omnium veri nominis Philosophorum, fere unanimum hoc respectu consensum provocantes.

§. VII.

Obiectio vero 6:o numero allata (scil. "non esse evidens, mundum absolute requirere causam sui intelligentia præditam &c. hancque posse æque ab intelligentia ac a materia esse diversam"), eam jure videtur pati observationem, quod etiam intelligentia Auctoris Mundi, a nobis revera ponitur quodammodo ab intelligentia entium mundanorum diversa, nempe immenso gradu major. Quod si vero non talem indigent adversarii diversitatem; sed eo tendant, ut plane non esset nobis concludendum ad intelligentiam Causæ mundi tribuendam; tum (ut reticeamus, ab eorum *posse* ad esse non valere conclusio-

---

*p*) *Crit. d. r. Vern* p. 254.



tionem) quæsumus, qua, vel minime probabili, ratione possit tale dubium muniri? E contrario autem nobis *pro* re, ex ea experientia, quod nulli mortalibus cognitæ rei mundanæ talis queat intelligentia tribui, quæ in Causâ mundi universi est postulanda, adeo saltem verisimile est argumentum, ut nudum illud *contra* allatum dubium minus debeat hoc respectu valere.

Pari quoque ratione judicandum esse putamus de objectione 5:ti momenti. Nam etiamsi non omnibus numeris absoluta cum evidentia, tamen adeo magna probabilitate, ex natura indoleque tum hominum, tum aliarum rerum creatarum, ad fines, vel potius finem mundi, colligitur, ut hujus quidem rei contrarium, æquali veri specie, affirmari minime possit.

Idem porro videtur valere de objectione 3:tia quæ eo spectat, ut fortasse possit ipsa materiæ *substantia* esse ens absolute necessarium atque Causâ totius mundi. Verum heic observes: quid hoc respectu cognoscant mortales de hac substantia? quid igitur hinc possint concludere? Ex nostra autem parte iterum omnis experientia longe majorem nobis vindicat verisimilitudinem.



§. VIII.

Ulterius quod ad superiores attinet illas, sub N:ris 1:0, 2:0 & 4:0, præsentatas observationes, in his concessum quidem est, argumentationem physico-theologicam valere ad Auctorem mundi probandum valde magnum, sapientem, potentem et sic porro; sed simul assertum, eum, sine sufficiente ratione, ut absolute perfectissimum (ens realissimum) assumi; nec vel specie firmiter argumentorum posse hoc ipsum prætendi, nisi refugio sumto ad illa *a priori*, *cosmologicum* puta, et præcipue illud *ontologicum*, unde tamen, (prout scilicet ex talibus ideis transcendentalibus, quibus nec possibilis respondere queat experientia) ad realitatem Dei, non valere conclusionem contendunt.

Nihilo tamen minus ad hunc quoque locum primo quærere licet: utrum vel hypothetice, majori jure assumendum sit *existere Ens realissimum*, an majori jure contrarium? Cui disjunctivæ quæstioni, quomodo sit respondendum, existimamus eo magis in aprico esse, quod (prout etiam Celeb. KANT *g*), de *polemico puræ rationis usu* disserens, affirmat) hoc-

ce

---

*g*) *Crit. d. rein. Vern.* p. 767. sqq. Cfr. p. 669.

ce contrarium nequaquam possit vel probabiliter urgeri, sed major semper saltem species veri valeat pro laudata hac assumptione, quæ præterea rationis humanæ maxime interest r); id quod de contrario asseri nequit. Deinde, quod ad illa attinet argumenta a priori, concessum quoque est, hæc saltem valere ad probandum, ideam nostram de Deo regulative s) esse ita formandam, ut eum nobis repræsentemus Ens realissimum; quod (nisi valde Fallamur) idem valet, ac rationem nostram non esse sibi constantem, nisi Deum, ut Ens realissimum, cogitemus, ejusque existentiam, qua talem, demonstrare conemur. Quoniam vero constat, Auctorem existere mundi, illumque debere ut Ens realissimum cogitari; num jam suspicandus nobis sit error, si eum, ut tale Ens, assumamus, etiamsi omnibus numeris absolutam ejus demonstrationem exhibere non valeamus?

Quod si animum etiam attendimus ad innatum menti humanæ instinctum, cujus impulsu semper agitur ad principia rerum scrutanda, immo ad ultimum omnitudinis principium quærendum; novum  
 C hinc

r) Habet pro se *das Interesse der Vernunft*, ut audiunt verba libri cit. p. 76). sq  
 s) Cfr. KANT, l. c. p. 647. 675. 699. I ENDAVID I, c. p. 270.



hinc quæstionis agitatae probabilitas videtur sibi ad-  
 fectiscere robur: quia nimirum, ex analogia omnium  
 rerum, quæ mortalium non fugiunt experientiam, est  
 colligendum, talein instinctum, æque ac alios ejus-  
 modi, haud frustra nobis esse inditum.

Ex occasione autem objectionis 2:di numeri, ad-  
 huc observare liceat, quam certissime constare, ne-  
 minem mortalium unquam valere, vel possibilitatem,  
 multo minus verisimilitudinem, mundi cujusdam alius  
 hoc universo perfectioris, ostendere. Nonne igitur  
 jam, maximo probabilitatis jure, debeat Auctor  
 Universi pro Ente omnium perfectissimo haberi? t)

Neque defuerunt egregia ingenia (nec unquam  
 defuerint), quorum persuasione, de existentia Dei,  
 hu-

2) Cum videtur heic locum dubitandi vix adesse; aliquanto for-  
 tasse lenius, hoc respectu, magni Philosophi expectandum  
 fuisset judicium, quam sit hoc sequens Celeberrimi KANT  
 l. c. p. 665. "Soll es uns erlaubt seyn, blos, um in  
 unserer Vernunft nichts leeres übrig zu lassen, diesen  
 Mangel der völligen Bestimmung durch eine blosse Idee  
 der höchsten Vollkommenheit und ursprünglichen Nöth-  
 wendigkeit auszufüllen: so kann dieses zwar *aus Gunst  
 eingeräumt*, aber nicht aus dem Rechte eines unwider-  
 stehlichen Beweises gefordert werden."

huiusmodi rationes suffecerunt. Ceterum, si placet hanc nostram animi persuasione[m] potius *fidem doctrinalem* u), quam cognitionem certam, vocare; de eo disputare nolumus: sufficit eam non esse vanam, multoque minus falsam. Nec immerito inter Philosophos orta est quæstio de obligatione hanc veritatem non repudiandi.

§. IX.

Restant quædam circa objectionem sub N:o 7:o supra memoratam differenda, ubi reprehenditur argumentum physico-theologicum, quasi inde non esset evidens Auctorem mundi esse ens morale, sanctitate æque ac potentia, sapientiaque infinitum. Quum jam non permittunt tempora copiosius ad huncce locum disputare; haud alienum a re putamus solum quærere: num, in disquisitione de omnibus in genere mundi finibus, solius hominis fines (et physici nempe et illè moralis) possint considerari ut excepti? Annon potius eadem argumentatio; quæ valet de genere, valeat etiam de specie? Deinde, quando ad intelligentiam Auctoris mundi colligitur, nonne tum simul ad moralitatem? Aut, possetne ens sum-

mæ

---

(\*) Cfr. I, c, p. 253. seq.





mæ intelligentiæ et sapientiæ vel cogitari esse moralitate destitutum?

Verum enimvero in eo demum haud minimum argumenti physico-theologici cernitur pretium, quod ipsi etiam *fidei morali* corroborandæ inserviat, quæ quidem nexum finalem (tum physico respectu, tum morali), præsupponit. Quod si vero quis observet argumentum physico-theologicum quoque haud parum roboris a laudata hac fide mutuo sumere; neque hoc negamus. Sed potius de utroque hoc argumento idem valere putamus, ac quondam egregius ille Historicus, ad certamen, vine corporis an virtute animi res militaris magis procederet, affirmavit: *utrumque scil. per se indigens, alterum alterius auxilio egere.*

His denique observationibus id optatum addendum existimavimus, ne quis hæc arroganter, vel expetulant, magnos Philosophos culpandi, cupidine, dicta esse putet: sed videmur, nos etiam, hæc debuisse VERITATI!

